Ad Tertiam, Aña.
Angelórum esca.
Capitulum. Fratres, Ego enim, **ut supra.**
℟. **br.** Panem cœli * Dedit eis. Panem cœli. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Dedit eis. Glória Patri. Panem cœli. ℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

Ad Sextam, Aña.
Pinguis est panis.
Capitulum. 1. *Cor.* 11. *f*

Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis: mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. **br.** Cibávit illos * Ex ádipe fruménti. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Ex ádipe. Glória Patri. Cibávit. ℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.

Ad Nonam, Aña.
Vincénti dabo manna.
Capitulum. 1. *Cor.* 11. *f*

Quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne: reus erit Córporis et Sánguinis Dómini.

℟. **br.** Edúcas panem, * De terra. Edúcas panem. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. De terra. Glória Patri. Edúcas. ℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

In secundis Vesperis omnia dicuntur sicut in primis Vesp. ccxix.
℣. Panem de cœlo præstitísti eis. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Ad Magnificat, Aña.
O sacrum * convívium, in quo Christus súmitur, recólitur memória passiónis ejus: mens implétur grátia, et futúræ glóriæ nobis pignus datur.

OFFICIUM

CONCEPTIONIS

B. MARIÆ VIRGINIS,

Quod BENEDICTUS PAPA XIII. quolibet Sabbato anni (extra Adventum, Quadragesimam, et Sabbata Vigiliarum, et Quatuor Temporum) non impedito Festo novem Lectionum, etiam translato, ritu Duplici recitari concessit universo Clero Sæculari, et Regulari in omnibus Regnis, Dominiis et Ditionibus Cæsareæ Majestati subjectis extra Italiam.

AD VESPERAS,
Añæ de Laud. Psalmi, Capit. et Hymnus ut in Festis B. M. cxxxviij.
℣. Concéptio sanctæ Maríæ vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnificat, Aña.
Gloriósæ vírginis Maríæ Conceptiónem digníssimam recolámus, quæ et genitrícis dignitátem obtínuit, et virginálem pudicítiam non amísit.

Oratio ut ad Laudes.

Ad Matutinum, Invitat.
Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum. **Psalmus.** Veníte exultémus. 2.
Hymnus, Añæ, Psalmi et ℣℣. Nocturnorum, ut in Festis B. M. cxlj.

In j. Nocturno Lect. de Script. occurr.
℟. j. Concépta est beáta virgo María ex progénie David: * Per quam salus mundi credéntibus appáruit, cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. ℣. Conceptiónem beátæ Maríæ vírginis cum gaúdio celebrémus. Per.
℟. ij. Beatíssimæ vírginis Maríæ Conceptiónem devotíssime celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditáte Conceptiónem beátæ Maríæ vírginis devotíssime celebrémus. Ut ipsa.
℟. iij. Gloriósæ vírginis Maríæ Conceptiónem digníssimam recolámus, * Cujus Dóminus humilitá-